

Surrexit a mortuis et præcedit vos in Galilæam.

✠ Lécio sancti Evangélii secúndum Matthæum 28, 1-10

- ¹ Sero autem post sábbatum,
cum illucésceret in primam sábbati,
venit María Magdaléne et áltera María
vidére sepúlcrum.
- ² Et ecce terræ motus factus est magnus:
ángelus enim Dómini descéndit de cælo
et accédens revólvit lápidem et sedébat super eum.
- ³ Erat autem aspéctus eius sicut fulgur,
et vestiméntum eius cándidum sicut nix.
- ⁴ Præ timóre autem eius extérriti sunt custódes
et facti sunt velut mórtui.
- ⁵ Respóndens autem ángelus dixit muliéribus:
«Nolíte timére vos!
Scio enim quod Iesum, qui crucifíxus est, quæritis.
- ⁶ Non est hic: surréxit enim, sicut dixit.
Veníte, vidéte locum, ubi pósitus erat.
- ⁷ Et cito eúntes dícite discípulis eius:
“Surréxit a mórtuis et ecce præcédit vos in Galilæam;
ibi eum vidébitis”.
Ecce dixi vobis».
- ⁸ Et exeúntes cito de monuménto
cum timóre et magno gáudio
cucurrérunt nuntiáre discípulis eius.
- ⁹ Et ecce Iesus occúrrit illis dicens: «Avéte».
Illæ autem accessérunt et tenuérunt pedes eius
et adoravérunt eum.
- ¹⁰ Tunc ait illis Iesus:
«Nolíte timére;
ite, nuntiáte frátribus meis, ut eant in Galilæam
et ibi me vidébunt». — Verbum Dómini.